

est, ciuitatem et locum munitum et tutum non habentes, multociens ob potentiam inimicorum nostrorum derelictis domibus et facultate, pro nostro honore non pepercerunt fidelissime pro nobis et pro exaltatione nostra, et multa alia fidelissima opera et seruitia versus nos et Dominationem nostram ostenderunt pariter et fecerunt, sicut decet seruitores fideles erga dominos suos facere; que quidem nos inducunt cum eis generose se gerere, et ut principum decet bonis et generosis favoribus animos fidelium suorum seruatorum de bono in melius augere; qua de re sincero animo et mente moti ad nobiles Scrisienses, fidelissimos seruitores nostros, propter eorum bona opera et seruitia, inprimis confirmamus, approbamus et ratificamus omnes et singulas consuetudines antiquas, semper Scrisie obseruatas usque in hodiernum, similiter statutis ordinibus eorum, que statuta sunt in quodam volumine libri, et omnes alias eorum libertates, quas ipsi progenitores nostri dederunt, concesserunt et confirmarunt, que in supra dictis Priuilegiis, nominatis in hoc nostro Priuilegio, generose continentur, et sincero animo et mente confirmamus et ratificamus omnia et singula supra scripta, imo tamquam veri domini predictorum Nobilium Scrisiensium pro eorum fidelium seruitiis et laboribus versus nos gestis, de novo autoritate nostra damus, concedimus et attribuimus omnes suas libertates, immunitates, consuetudines, quas ab antiquo habuerunt. Et hec omnia et singula alia, que in predictis Priuilegiis nostrorum predecessorum, de quibus hoc nostrum Priuilegium facit mentionem, pro predictis Nobilibus Scrisiensibus eorumque heredibus et posteritatibus confirmantes, approbantes, roborantes, ratificantes et nominantes, perpetuo ualituros et memoraturos. In quorum omnium et singulorum robur et testimonium hoc nostrum Priuilegium fieri iussimus, et nostris sigillis pendentibus munientes roborari. Datum in oppido sub Pocitel vigesima septima die mensis Octobris Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo. Nos igitur supplicationibus prefatis Mirchonis Maiestati nostre modo, quo supra, porectis, Regia benignitate exauditis clementer et admissis, prescripta exempla et copias dictorum Priuilegiorum presentibus litteris priuilegialibus sine diminutione et augmento aliquo insertas, quoad omnes earum continentias, clausulas et articulos quosvis, in quantum rite et legitime existunt emanate, viribusque eorum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus et ratificamus. Nichilominus vero ut iidem Nobiles, cives et incolae dicte ciuitatis et terre nostre Scrisie et fidelitate et numero eo magis studeant augeri, quo se maiori favore nostro peruenientes esse conspexerint, easdem litteras et ipsarum copias et exempla prefacta ac omnia in eis contenta, pro eisdem perpetuo valitura roboramus et confirmamus harum nostrarum, quibus secretum sigillum nostrum, quo ut Rex Hungarie utimur, est appensum, vigore et testimonio litterarum meritoque. Datum Bude in festo beati Thome Apostoli. Anno Domini Millesimo quadringentesimo octogesimo primo. Regnorum nostrorum, Hungarie etc. vigesimo quarto, Bohemie vero tredecimo.

*Ad propositionem Thome de Erdewd, prepositi Tituliensis.*

Orig. membrana apud Laurentium Mirković Carolopagi, cujus erroribus plenum transumptum accepimus.